

13
DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE PARTICIPATIONE BENEFICI-
orum Mediatoris Domini nostri J E S U
CHRISTI.

De cujus subjectis Thesisbus,

ASPIRANTE GRATIA SPIRITUS SANCTI:

Præsides

JOHANNE MOLTHE-
RO, S. THEOLOGICÆ DO-
CTORE, ET HEBRÆÆ LINGUÆ

Professore, in Illustri Academia Mar-
purgensi, publicè respon-
debit

M. JOHANNES CROCIUS.



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typogr. Acad.

M D C X.

ECCLESIAE CHRISTI MARPUR-
gi collecta Prostat,

REVERENDIS CLARISSIMISq; VIRIS:
Dn. VALENTINO SCHONERO,
Superattendenti;
Dn. ANDREÆ PETRO KINDIO,
Archidiacono;
Dn. VALENTINO CRAJO, DIA-
cono;

*Dominis, fautoribus & promotoribus hanc
disputationem dedicat*

M. Johannes Crocius.



DE PARTICIPATIONE BENEFICIORUM Mediatoris Domini nostri
Jesu Christi.

THESIS PRIMA.

PARTICIPATIO Beneficiorum Mediatoris Domini nostri Jesu Christi, est reconciliationis cum Deo, æternæq; salutis, atq; adeo omnium, quæ Christus Mediatione sua inter Deum & lapsum genus humanum acquisivit bonorum, plena possessio & perfructio: qualis quidem in hanc vitam (in qua nondum apparuit, quid futuri simus, 1. Joh. 3.) cadere potest. Et aliàs vocatur Regnum Dei, quod intra nos est, Luc. 17. Non est enim regnum Dei esca & potus, sed Justitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14.

2. Et si enim tanta bona (vita & incorruptio, 2. Tim. 1.) à Christo perfectè comparata sunt (nam per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ, Heb. 9. & factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis, Hebr. 5.) & adhuc firmiter per eundem conservantur (apparet enim pro nobis in ipso cælo, in conspectu Dei, Heb. 9. & interpellat pro nobis, Rom. 8.) ut tamen ad nostrum usum & fruitionem perveniant, necesse est primò quidem à parte Dei, ut nobis annuncientur & communicentur: Deinde verò à parte nostra, ut à nobis apprehendantur.

3. Primò est necesse, ut nobis annuncientur, hoc est, per certa media insinuentur & proponantur. Nemo enim novit

Filium, nisi Pater, Matth. 11. Et animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. Caro & sanguis tibi non revelavit, sed Pater meus, qui est in Cœlis, Matth. 16. &c.

4. Talia media sunt Verbum Dei, & Verbi Appendices, Sacramenta, tanquam verbum visibile: per quæ Deus inde ab initio cum Ecclesia sua ordinariè agere consuevit. Matth. 28. Prædicate & Baptizate. Ubi verò nullus horum Mediorum usus est, nulla quoq; Beneficiorum Christi notitia esse potest: imò nec ibi ulla Ecclesia Christi apparet.

5. Verbum illud non est Legis, quæ tamen est Pædagogus noster in Christum, Galat. 3. revelando peccata, Rom. 3. & operando iram, Rom. 4. sed Evangelii. Nam in Evangelio revelatur justitia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1.

6. Hæc annuntiatio est vocatio simplex, eaq; latissimè patet. Emisit enim Christus discipulos ad prædicandum poenitentiam, & remissionem peccatorum, Luc. 24. ad omnes gentes, Matth. 26. imò ad omnes creaturas, Mar. 16. id est homines, usitato Hebraismo. Et in omnem terram exivit amussis eorum (*Kassam*) Psalm. 19. id est sonus & prædicatio (*Kolam*) interprete Paulo, Rom. 10.

7. Quæcunq; igitur Nationes prædicatione Evangelii carent, per suam propriam culpam, justo Dei judicio, ea destituuntur. Actor. 13. Quoniam indignos vos judicatis vitâ æternâ, ecce convertimur ad gentes. Matth. 22. Qui vocati erant non fuerunt digni. Lucæ 14. Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.

8. Secundò: annunciata beneficia Christi oportet communicari: per nudam enim prædicationem nemo eorum particeps fieri potest: Quia nemo potest ad Christum venire, nisi Pater trahat eum, Joh. 6. Non enim omnes credunt Evangelio. Prædicamus Christum crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam, 1. Cor. 1. Bonus est odor Christi: aliis tamen est odor

odor vitæ ad vitam : aliis odor mortis ad mortem, 2. Corinth. 2.

9. Interim inexcusabiles redduntur, qui vocem Evangelii audiunt, nec tamen credunt : quia propè fuit eis regnum Dei, sed ingredi noluerunt. Unde prædicatur eis Evangelium in testimonium contra ipsos, Matth. 24.

10. Communicatio beneficiorum Christi, est vocationis efficacia, quæ non in omnibus se exerit, sed in iis tantum, quos Deus ad hoc præparavit, & idoneos reddidit. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona sua voluntate, Phil. 2. Nos enim ipsi non sumus idonei cogitare aliquid (*boni*) à nobis, tanquam à nobis : sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 2. Unde omne quod dat ei Pater, ad eum venit, Johan. 6. Non est enim volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, Rom. 9.

11. Præparat autem Deus, partim ab æterno, partim in tempore.

12. Ab æterno per gratiam Prædestinationis, qua elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, Ephes. 1. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis à constitutione mundi, Matth. 25.

13. Per hanc prædestinationis gratiam servantur electi, ne vel in errorem inducantur, Matth. 24. vel eorum fides penitus deficiat, Lu. 22. Dominus enim novit qui sunt ejus, 2. Tim. 3. Et qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet illud usq; in diem Jesu Christi, Philip. 1. Oves meas nemo rapiet de manu mea, Joh. 10. Virtute Dei custodimini per fidem in salutem, 1. Petri 1.

14. In tempore præparat eos, qui natura sunt filii iræ, Ephes. 2. per donationem Spiritus sancti : qui non solum datur per auditum fidei, Gal. 3. & per Sacramenta : Nam in uno spiritu baptizati, & in uno spiritu potati sumus, 1. Cor. 12. Sed per hæc ipsa quoq; media efficax est. Aperit enim corda, ut intendant his, quæ dicuntur, Actor. 16. ut per verbum credamus, Joh. 17.

Fides enim est ex auditu, Rom. 10. Et baptisimus est lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem Deus effudit super nos opulenter, propter Jesum Christum, Tit. 3.

15. Solis igitur electis & fidelibus beneficia Christi communicantur: quia fides non est omnium, 2. Thessal. 1. sed tantum electorum, Tit. 1. quibus non solum donatur, ut credant in Christum, sed etiam ut pro eo patiantur, Phil. 1. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, Actor. 13. Hinc est illa vox Christi, Lucæ 12. Noli timere pusille greges: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

16. Inter annunciationem igitur beneficiorum Christi & communicationem eorundem tantum interest, quantum inter vocationem & electionem, juxta illud, Matth. 20. Multi sunt vocati, sed pauci electi.

17. Communicatio hæc seu exhibitio elucet potissimum in applicatione & oblatione promissionis Evangelii, quarum utraq; servit confirmandæ fidei: illa contra tentationem particularitatis: hæc contra tentationem rejectionis.

18. Tentatio particularitatis est, quando pia mens subdubitatur, num etiam ad se pertineat promissio Evangelii: eam elidit applicatio ejusdem, per quam promissio Evangelii universalis & indeterminata, singulis credentibus in specie sic accommodatur, ut eam ad se privatim pertinere certò intelligant.

19. Ea fit primò per verbum, quoties singulis in specie gratia Dei annunciat. 2. Sam. 12. Dominus transtulit peccatum tuum. Matth. 9. Remittuntur tibi peccata tua. Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata. Deinde per Sacramenta, quatenus in Baptismo super singulis invocatur Nomen Dei: & in Sacra Coena singulis annunciat fructus, in mortem traditi corporis & effusi sanguinis Christi.

20. Tentatio rejectionis est, quando pia mens gravata mole

4
mole peccatorū & magnitudine crucis subdubitat, num etiam
Deus promissionem Evangelii sibi certò servaturus sit. Eam a-
molitur obsignatio promissionis Evangelicæ, per quam pia
mens secunda redditur, de certissima eius præstatione, idq; tum
per verbum auditum, lectum, & cogitatum, tum per Sacra-
menta, quæ potissimum ad hoc instituta sunt, ut sint *σφαιδές δι-*
αγωγὸν ἡμᾶς εἰς τὴν αἰσθεσίαν, Rom. 4. quæ præcipuum Evangelii bonum &
donum est.

21. Sequitur de apprehensione, qua oblata & commu-
nicata beneficia Christi suscipiuntur. Ea fit sola fide, non simula-
ta, sed vera, quæ coram hominibus luceat per bona opera, Mat.
5. Et per dilectionem operetur, Gal. 5. Nam Fides sine operibus
mortua est, Jac. 2. Sola namq; Fides prædicationem Evangelii
firmo assensu amplectitur, & in eo proposita beneficia Christi
agnoscit & intelligit: atq; in illis plena fiducia recumbit & ac-
quiescit. Hinc sunt illa elogia fidei: Fide purificantur corda, Act.
15. Christus habitat per fidem in cordibus, Ephes. 3. Justus fide
sua vivet, Hebr. 2.


22. Sicut autem fides ex incorruptibili semine verbi di-
vini, 1. Petri 1. quod est verbum vitæ, Joh. 6. & veritatis, Jacob. 1.
nascitur, & usu Sacramentorum fovetur & alitur: sic eadem
perpetuâ meditatione verbi & usu Sacramentorum occupata,
per applicationem & obsignationem promissionis Evangelii,
crescit & augetur, donec finem suum reportet, qui est salus a-
nimarum. 1. Petri 1.

23. Ex dictis manifestum est, excludi ab omni commu-
nicatione beneficiorum Christi Mediatoris, non minùs eos,
qui fidem ore jactant, factis autem negant, ad omne opus bo-
num reprobi, Tit. 1. atq; omnes etiam operarios, qui vel pro-
priam justitiam stabilire volunt, sectantes justitiam Legis, spre-
tâ interim justitiâ Christi: vel beneficia Christi propriis meritis
apprehendere, suaq; facere nituntur: quæ tamen gratuita sunt,
Esa.

Esa. 55. Emite absq; argento. Joh. 1. Gratiam pro gratia. Eph. 3. Gratiâ salvati estis per fidem. Rom. 9. Donum Dei est vita æterna per Christum Jesum.

24. Movetur hîc quæstio de infantibus fidelium, quo pacto illis beneficia Christi communicari, & ab ipsis apprehendi possint: cûm usu rationis careant, ac proinde quoq; fide. Nihil enim ad nos ii, qui foris sunt: Eos enim Dominus judicabit, 1. Cor. 5. Respondemus: de iis qui baptizantur expedita est ratio: Mundantur enim lavacro aquæ in verbo, Ephes. 5. atq; ita Christum induunt, Gal. 3. De iis qui decedunt ante Baptismum, difficilior est. Nec tamèn ob defectum Baptismi salus eorum desperanda: quia in Ecclesia nati fuerunt, 1. Cor. 7. Et promissio foederis, Gen. 17. ad eos quoq; pertinet, Act. 2. piisq; parentum & Ecclesiæ precibus Christo sæpius oblatis fuerunt, Matt. 19. Nec enim privatio Sacramentorum damnat, sed contemptus. Accedit quòd in utrisq; Spiritus sanctus, juxta gratiam Prædestinationis, tales motus ad Deum efficit, qui sunt Analogi fidei, Psal. 22. Faciens me confidere super uberibus matris meæ, atq; ita ex filiis iræ, Eph. 2. in filios Dei regenerat: & si quo id modo fiat, nos sæpè non intelligimus. Τὸ δὲ διωαμένῳ ὑπὲρ πάντων ποιῆσαι ὑπὲρ ὅτι περὶ αὐτοῦ, ὡς αὐτὸ μέγα ἡ νοούμεν, κατὰ τὴν διώαμιν τὴν ἐκπεργημέναν ἐν ἡμῖν, αὐτῷ ἡ δόξα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν χριστῷ ἰησοῦ, εἰς πάντας τὰς ἡμέρας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Θ Ε Ω Δ Ο Ε Α.



4
cis subdubitat, num etiam
certò servaturus sit. Eam a-
Evangelicæ, per quam pia
eius præstatione, idq; tum
rogitatum, tum per Sacra-
truta sunt, ut sint *σφαγίδες δι-*
pium Evangelii bonum &

ne, qua oblata & commu-
Ea fit sola fide, non simula-
uceat per bona opera, Mat.
s. Nam Fides sine operibus
s prædicationem Evangelii
proposita beneficia Christi
ena fiducia recumbit & ac-
de purificantur corda, A&.
libus, Ephes. 3. Iustus fide

rruptibili semine verbi di-
Ioh. 6. & veritatis, Jacob. 1.
vetur & alitur : sic eadem
sacramentorum occupata,
n promissionis Evangelii,
n reportet, qui est salus a-

excludi ab omni commu-
diatoris, non minùs eos,
egant, ad omne opus bo-
n operarios, qui vel pro-
ntes iustitiam Legis, spre-
ia Christi propriis meritis
quæ tamen gratuita sunt,
Esa.